Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 253
Quelle:
Copyright:

logo primo ostenditur scriptor hujus ewangelii, 2°. eius auctoritas &c. Ipsius Operis: *Liber generationis. Ewangelium Mathei diuiditur in 2. partes primo stabilit suum subiectum ostendendo christum esse verum hominem* &c. Finis totius: *vt sic non deficiat fides petri. Ad laudem et gloriam domini nostri* &c. Additur: *Scriptum tercia feria ante festum pasche.* Annus non comparet.

CLXIX.

U. 74 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 300. 4. currente calamo scriptus continet Expositionem scholasticam *Evangelii Matthaei*, quae ita ingreditur: *Sacratissime ewangelice doctrine seminator b. Matheus ut mentibus fidelium ewangelij fluenta artius instillaret* &c. Desunt hinc inde quaedam, et finis est: *dignetur perducere, ut sibi corregnemus per infinita secula, quod nobis concedat ipsa trinitas increata super omnia benedicta Amen.* Tergo Codicis manu Sec. XVI. inscriptum: *M. Mich. Suechenshaz In Evange. Mathæi.* Initio Sec. XV. floruit hic Theol. Doctor et ad D. *Stephani* Canonicus, ejusque memoria in Scriptoribus nostris Academicis non nisi ad an. 1414. pertingit. Rectoratum gessit a. 1409. Adi de eo et reliquis ejus Scriptis, si lubet, *Scriptores Univ. Vien.* P. I. p. 64. Id asserere ausim, non paucas hujusmodi Doctorum Academiae *Vindob.* lucubrationes, sive sacram eruditionem, sive methodum, aut stilum spectes, nihil concedere aliis, quibus fors obtulit, ut a primis Typographis prelo excuderentur.

CLXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 141
Folior. 495. f. per duas columnas probe exaratus, et rubricis pernotatus *Commentaria in* totum *D. Matthaei Evangelium* complectitur. Introductio incipit: *In nomine domini amen. 1449. Lecturus ewangelium beati mathei ante aggressum textus ewangelici aliqua preambula premittam* &c. Exponuntur deinceps gemini etiam *Prologi*, tandemque textus hoc initio: *Liber generationis Ihesu Christi* &c. *Istud ewangelium beati Matt. diuiditur in duas partes. Nam in prima ostendit christum esse verum Deum et verum hominem* &c. Terminatur vero: *ut sibi corregnemus per infinita secula, quod nobis concedat ipsa trinitas increata super omnia benedicta Amen.* Et rubro: *In vigilia laurenti Anno M° CCCC-50.* Jam ubi? In *fol.* Codici praevio lego: *Anno domini 1449. fui admissus ad legendum cursus et in vigilia simonis et Jude incepi legere hunc librum quem finiui in vigilia laurenti.* Et in Theca anteriore: *Iste liber est magistri Sigismundi de lengenueld;* aliaque manu: *Magister Sigismundus obrecht de Lengenueldt in theologia baccalarius posonijque (que et bistropolis dicitur) cum erigeretur Vniuersitas ex primis collegiatis hunc librum loco trium florenor. Vngaric.*

quos